

REUTLINGENSE.

13

*Et purum verbi defendat ubique tenorem.  
Hoc Reutlinga facit, nec se fecisse pigebit  
Haectenus: in primis diuini lumine Verbi  
Splendida, Sueuorum veterum celeberrima genti  
Imperialis humus, docta vicina Tubinga:  
Pacifica, & sincera fide, pietate decora,  
Et simplex, populosa satis, nec gente superbâ.  
Vitus in hoc templo docuit clarissimus Herman  
Nuper & hinc migrans caelestia regna petiuit,  
Cuius adhuc nomen manet, aeternumq; manebit.  
Nam post se doctos tres liquit in vrbe ministros  
Ingenuos gnatos, socij pia pignora lecti.  
Scilicet Eusebi te claro nomine dictum,  
Monte sub Achalmo, qua non procul vrbe superbit  
Eninga: hic sese pastorem munere fidum  
Exhibet, & tentat magnum aequiparare parentem.  
Perge ita: sis semper felix Eusebius Herman.  
Filius alter adest nobis Ezechiel huius  
Frater, amicitia longo & mihi cognitus usu,  
Qui Gomeringensem iam longo tempore pagum  
In verbo pascit Christi pia semina spargens  
Nunc Wanuuilensi pastor bene praesidet agro.  
Perge ita: nam sese qui paruo munere fidum  
Exhibet, huic olim credent maiora penates.  
Tertius est frater patrio cognomine Vitus  
Hermannus, magni sequitur vestigia patris  
In pietate pari: sincero pectore clarus  
Qui docet egregie populum caelestia dona  
Et Reutlingensem patrijs virtutibus urbem  
Condecorat, celebrem reddit, feliciter ornât.  
Hermano quondam fuit acceptissimus usu  
Atque ministerio Daniel cognomine pictor*

Vitus Hermanus concionator Reutlingensiu obiit: An. 1588.

M. Eusebius Herman pastor in Eningen propè Reutlingam.

Ezechiel Herman Diaconus Gomeringensis.

Vitus Hermannus, tertius Hermannii filius obiit 8. Septemb. An. 1597.

Daniel Pictor, Reutlingensiu

D

In